

V C  
1092



d



QK. 44  
d. 14, 4.

Vc  
1092

Q. D. B. V.  
De

# MARCHIA MISNENSI,

Disputabunt

PRÆSES

CONRAD SAMUEL SCHURTZ-  
FLEISCH,

&

VVOLFANG SIGFRID A KÖTTERITZ,

Eqves Misnicus,

A. & R.


*In Auditorio Majori*

*Ad Diem Junii. A. clc lxxiv.*

1674

VVITTEBERGÆ,

Ex officina CHRISTIANI SCHRÖTERI.



2



M. A. R. C. H. I. A.  
M. I. S. S. I. N. E. N. S. I.

CONRAD SAMUEL SCHULTZ  
FR. E. S. S.



Ex officina CHRISTIANI SCHROETER  
VITTEBERGA



5



ILLUSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO  
DOMINO,  
DOMINO JOHAN-  
NI FRIDERICO,  
LIB. BARONI à *Burkersroda*  
IN *Sornigt / Pauscha / ET Marfrölig /*  
ETC. SACR. CÆSAR. MAJEST. CONSILIA-  
RIO ET THESALIRIO IMPERIALI UT ET SERE-  
NISSIMI ET PONTISSIMI ELECTORIS SA-  
XONIE CONSILIARIO SANCTIORI  
ACCOMITI EMINENTISSIMO,

ILLUSTRI AC GENEROSISSIMO  
DOMINO,  
DOMINO HERMANNO  
à Wolfransdorff IN Künsteris / Sahl-  
hausen ET Mügeln/SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIÆ  
IN CONSILIO SANCTIORI SENATORI ET COMITI, LIPSI-  
ENSIS CIRCULI CAPITANEO SUPREMO, EJUSQUE CI-  
VITATIS NEC NON ROCHLICENSIS, COLDICEN-  
SIS, LEISNENSIS, BORNENSIS ET GRIM-  
MENSIS PRÆFECTO.

Hanc Disputationem, humillimi ob-  
sequii monumentum do dico atque  
conseruo, me ac studia mea gratiosissi-  
mo Patrocinio commendo,

*Illustrimorum, Generosissimorum ac  
Excellentissimorum Dominorum*

*Piissimus & Dicutissimus  
Cliens*

Wolfgang Siegfrid à Kötteritz,



HEROIBUS INCLUTIS,  
DOMINIS MEIS GRATIOSISSIMIS,  
MÆCENATIBUS MAXIME OBSERVANDIS.  
*ILLUSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO*  
DOMINO,  
DOMINO HENRICO  
LIB. BARONI à FRISEN, IN Puffau/  
Schönfeld / Zessen ET Graupa HÆREDITARIO,  
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI ELECTORIS SAX.  
IN SENATU SANCTIORI CONSILIARIO ET CO-  
MITI EMINENTISSIMO,

ut &

*ILLUSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO*  
DOMINO,  
DOMINO CAROLO  
LIB. BARONI à FRISEN, IN Köthau/  
Kotta / Gashwitz / &c. HÆREDITARIO,  
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTORIS SAXON.  
CONSILIARIO SANCTIORI, COMITET JUDICII  
ECCLESIASTICI SUPREMI PRÆSIDI EMINEN-  
TISSIMO.

ncc

NO  
Sahl-  
KONIA  
LIPSI.  
E CI.  
N-

ni ob-  
atque  
iosissimi.

isimus

ritz,

nec non  
*ILLUSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO*  
**DOMINO,**  
**DOMINO REINHARDO**  
**DITERICO, S. R. IMPERII PANNE-**  
**RIO ET LIB. BARONI à TAUBE, DYNASTÆ IN Neufirchen/**  
**Rödern/ Höckricht/ Wiltthen/ Leuben/ Franckenthal/ ETC.**  
**SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTORIS SAXONIÆ**  
**COMITI, CONSILIARIO INTIMO AC**  
**CANCELLARIO.**

simul &

*ILLUSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO*  
**DOMINO,**  
**DOMINO NICOLAO**  
**S. R. IMPERII PANNERIO**  
**LIB. BARONI à GERSDORFF,**  
**IN Barrth/ Bretzig/ Hauswalda ET Rafel TOPARCHÆ,**  
**SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTORIS SAXONIÆ**  
**CONSILIARIO SANCTIORI ET COMITI**  
**EMINENTISSIMO,**

tuca



I.

**M**isnensis ditio, de qua tradere antiquitatis causa volo, & pietatis debeo, nomen ac dignitatem, *Marchia* accepit sub Henrico Aucupe, a. Francorum Orientalium atq; Saxonum rege, hereditarium jus ac honorem beneficiaria successione innixū ferius adeptā est, nec prius habuit, quā ab excessu imperatorum Ottonum.

a. *Detmarus Merseburgi antistes, & firmo stabiliq; omnium consensu scriptor gravis & natione Saxo, lib. 1. unā operā urbis Misnensis, & præfectura limitum illic constitutæ originem explicat his verbis. Hic (Henricus Auceps) montem unum juxta Albim positum, & arborum densitate tunc occupatum excoluit, ibi urbem faciens. Cui de rivō quodam, qui in septentrionali parte ejusdem fluit, nomen Misni imposuit, quā, ut hodie in usu habetur, præsidiis & impositionibus cæteris munivit. Huc. vid. Ernest. Comes Mansfeldius orat. de Henrico Aucupe, Fabricius ad A. 930: & orig. Sax. lib. 2: p. 115. Petrus Albinus commentar. rer. Misn. tit. 9. Laurentius Faustus descript. Ger-*

A 2

man.

man. auctorum urbis Misnae. David Otto Schurer in  
chron. Dresd. MSP. Chronicon Saxonicum, à veteri  
quodam monacho compositum, atq; à Johanne Po-  
mario cultiori lingua Teutonica, licet aliquando non  
ex mente auctoris, ex politum auctumq; & deinceps  
à Matthaeo Dressero continuatum, annorum spatium  
dividit hoc tempus, & 930: exhibet instituta mar-  
chiae Misnensis origine signandum: pag. 108. Quod  
licet alii concedant de origine urbis Misnae, tamen de  
Marchia negant, & altero post anno, idest, 931. con-  
ditam primum affirmant: Albinus d. l. Sed Lau-  
rent. Peccenstein annum arcis Misnensis aedificatae  
numerat 929. theatr. Saxon. part. 3. in urb. Misna.  
At multa in eo reperias, quae castigari oporteat, &  
negari non debeat, eum longè infra Albinum & Fa-  
bricium fuisse. Reinerus Reineccius in libro Germa-  
nico de Misnensium orig. & adventu in eas terras p.  
85: seqq: Misnae cum in ditionem regni Germanici  
redactae, tum Marchiae accessione ornatae primordia  
ducit ab Henrico Aucupe. Quamquam apud alios  
de hoc ambigitur. Georgius Sabinus de appellat.  
March. Brandenburg. p. 77: initia Marchiae Mis-  
nensis repetit ab Ottone II. errore eò facilius intel-  
ligendo, quò est manifestior, siquidem nil tale de Ot-  
tone II. proditum est, nisi quòd ad Marchiam adjun-  
xisse traditur hereditariam dignitatem, apud Rei-  
nec. d. loc. p. 87: El. Reusner. de origine Misenorum  
p. 215.

p. 215. Haud enim difficile probatu est, vocabulo præ-  
dii Marchiam à Detmaro descriptam fuisse, præ-  
sertim ex iis, quæ annotavit Alb. Crantzius, qui  
Vandal. lib. 3: cap. 16: Marchionem interpretatur  
Præsidem in provincia, cui marchia nomen erat, jus  
dicentem: Marchiam ipsam vocat, quæ armorum  
titulo alteri acquisita ut Domino fuisset. Quod  
effecisse Aucupem, ac Daleminciis, atq; iis, qui Mis-  
niam insederant, Slavis eripuisse, & contra Un-  
gorum Bobemorumq; incursiones firmatam regno  
Teutonico adjecisse, nullo negotio conficiamus: Dale-  
minciã autem, sive Dalmantiã antiquioris Mis-  
niã partem fuisse, constat ex Witebindo l. 1. annal.  
Sax. Detmaro l. 2. cbr. Merseb. Ad hæc nil aliud in-  
dicant verba, ut hodie in usu habetur, cum dubita-  
ri non possit, etate Detmari, qui Henrico II. imp. æ-  
qualis erat, Marchiam Misnensem in usu fuisse,  
quãquam adjectione provinciæ Misnensis eam non  
expresit usquam, quod perinde de Marchia Bran-  
denburgensi liquet: & si diversa separo ab se invi-  
cem rectè, & in id tempus congruens styli argumen-  
tum quæro, non quidem ad liquidum omnia perdu-  
cam, illud tamen, nec temere, affirmabo, ante Hen-  
rici V. & Lotbarii Imp. tempora Marchiam non legi-  
ditionis Misnensis adjectione denotatam: si maxime  
multò ante instituta, & beneficio Henrici II. collata  
fuerat Dedoni, cujus bodieq; supersunt posteri, & ma-  
gnã

gnâ precedentium ac hujus seculi felicitate in Saxonie  
Electores Ducibusq; continuantur. Nec verò si-  
verint historiae leges, ut verba, quibus ad demon-  
strandam priscam illam Misenorum Marchiam us-  
sumus, fortè de Burggraviatu illic condito intelli-  
gantur. Nam is multo tempore fuit Marchiâ po-  
sterior, & auspicia sua accepta fert Ottoni Magno.  
Nam ut cunq; est Burggraviatus dignitas, tamen a-  
liena est ab ævo regis Henrici Aucupis, & usq; à Ca-  
rolino imperio ignota fuit, ac prima initia habuit  
Ottonis I. Augusti temporibus. Tantùmq; abest, ut  
verba illa communiter ac de præsidio militari so-  
lùm ad defensionem finium comparato accipiantur,  
ut quoque iis singulariter & per quendam loquen-  
di eminentiam designetur Præfectura limitum, quæ  
Teutonico ac in veteri Romanâ Republicâ inusitato  
nomine Marchia nuncupatur. Extant tamen qua-  
dam in Justiniani codice de militibus limitaneis, l. ult.  
§. 8. C. de off. præfect. prætor. l. ult. C. de off. milit.  
jud. & C. l. 3. de fund. limitroph. imò & aliquot an-  
te Justinianum seculis de iis legitur apud Ælium  
Spartianum in Pescennio Nigro, p. 216: recens. Box-  
horn. Eratq; tunc certus numerus limitum, quos sin-  
guli Comites ac Duces custodiebant, unde exemplum  
transiit ad rempublicam Francorum, & primò o-  
mnium Marchie nomen auditum est apud Carolin-  
gos, atq; ab his ad Saxones omine pariter atq; indicio  
reui-

revirescentis regum Teutonicorum potentia trans-  
missum est, quòd Henricus Auceps multas & varias 11. 23  
Marchias institueret, cumq; hereditaria postea fie-  
rent, & juribus, quæ vocantur, regalibus ornaren-  
tur, vel eo argumento iterum mutati imperii status  
fidem capiamus. Sed quando id acciderit, variant  
sententia: nam qui ad Ottonem II. referunt, paulò  
ante nominati sunt. Ex Jodoco Willicbio fortè col-  
ligas, Marchias imperante Ottone III. jus heredita-  
rium sortitas fuisse: cap. 19. in Tac. German. Balth.  
Mencius de stemmat. March. Brandenburg. in Di-  
terico II. At non ita explicata sunt huius sententia  
rationes, ut certum atq; confirmatum animum red-  
dant. Mibi vero per est simile, Marchiam Misnen-  
sem, quæ ab seculo X. primordia cepit, (nam & quæ-  
dam serius ac duobus post seculis instituta sunt, apud  
Mart. Crusium Sæv. annal. part. 2. lib. 10: cap. 11. &  
13.) extinctis Ottonibus Augustis jus beneficiaria  
successionis acquisivisse. Detmarus enim lib. 4.  
Rigdagum Marchionem non aliter, quàm civita-  
tis Misna custodem describit. Major verò Ekkhardi  
Marchionis auctoritas fuit, & tanta quidem, ut  
mortuo Ottone III. auderet regnum Germanicum  
affectare, apud eundem d. lib. A quo tempore hæc  
Marchia cœpta est possideri paulatim firmiori jure,  
ac mox beneficiaria lege: nam id ultrò sequitur ex  
historia Detmari contextu, & compositione verba-  
rum,

rum, ex parte regis tenere, id est, ex parte regis, si-  
ve imperatoris in beneficium tenere, quæ compa-  
ratione mutuâ intelliguntur ex lib. 6: p. 152: & lib.  
4: p. 87. Et verè doceri hoc aut saltem declarari  
potest, quòd cum illa ipsa Marchia traderetur Co-  
miti Hermanno, super ejus concessione in judicio  
Principum consultaretur, teste Detmaro lib. 6: p.  
154. Tum ex Aschaffnaburgense Presbytero, vera-  
ci scriptore & gnave Teutonicarum rerum perito  
licet cognoscere, Henrici IV. ævo Marchiam non solo  
beneficii titulo, nec sensu tantum, sed expressâ si-  
gnificatione juris hereditarii explicari, usq; eò, ut  
tota curatio Marchia in fines juris territorii descri-  
pta, & quasi in patrimonium addicta censeretur, &  
si imperator se immiscens, privilegia & hætenus  
partas dignitates turbaret, belli occasionem daret,  
ad A. 1057: conf. Urspergensis, qui memorat, Saxo-  
nes non permisisse, ut imperator Henricus IV. in ditio-  
nibus suis atq; adeò Marchia Saxonica, de quâ lo-  
quitur Aschaffnaburgensis, & ego ratiocinatione,  
quadam accommodo ad Misenensem, castella adifi-  
caret ac munitas urbes, ad A. 1073. collat. A. 1115.  
Atqui Henricus II. Misnæ Marchiam muniebat i-  
dentidem, & defensionem ejus tanquam ad se quoq;  
pertinentē curabat, ut satis ex Detmaro constat, in-  
primis lib. 6: & 7. Quod multos ad eam senten-  
tiam perduxit, ut affirmarent, Marchias primū  
sub

sub tempora Henrici IV. hereditarias esse factas. //  
Vid. dissert. auctoris Origin. Pomeran. §. 8. sub lit. t.  
Etsi negari non possit, jam ante in familiam addi-  
ctas fuisse, & beneficii vocabulum non alio, quam  
feudi notione sumsisse Detmarum. Ac his rebus  
rursum admoneri possumus de vicissitudine ac va-  
rietate Marchiarum, praesertim Misnensis, non tan-  
tum quòd ei juris hereditarii honor impertiebatur,  
sed quia id etiam, quod à principio originis suae non  
habuit, postero tempore obtinebat, ut Ducatu, quae //  
summa in republica Teutonica dignitas antea fue-  
rat, exaequaretur. Illud porrò etiam, neq; incon-  
sultò aut temere hic dicam, Comites multò priùs di-  
gnitate hereditaria auctos, quam Comites limitum,  
qui Marchiones, sive Marckgravi nunc appellan-  
tur. Horum alioq; & speciatim Misnensis, men-  
tio fit in speculo Saxonico, art. 62. Ut quoq; hoc indi-  
cio esse possit, a vo Imperatorum Saxonorum Speculũ i-  
stud non congruere, nedũ Carolino, si quidẽ veris ar-  
gumentis constat, referri oportere ad XIII. seculum,  
nec ulla sanè dubitandi causa in hac parte apparet.  
Tantum addo de Burggraviis, in quantum & hi non //  
amplius meris Comitibus annumerantur, postremò  
omnium ius hereditarium accepisse, quod vel de  
Norico ac Magdeburgico notum est omnibus & per-  
vulgatum. Nam si id in universum intelligatur,  
sat scio falsum dici, & Burgwardum Zurbici longè  
B ante,

ante, & jam tum etate Ditmari Episcopi jus hereditarium acquisivisse: lib. 6: p. 152. Illud autem forsitan quis mirari queat, quid induxerit Johannem Micralium, ut scriberet, Burggraviatum Soraborum (nam is designatur per Burgwardum Zurbici) postea dictum esse Marchionatum Misniae, Syntagm. hist. civ. lib. 3. Non equidem sum nescius, Sorabos olim, cum imperarent Carolingi, Misniam ac superioris Saxoniae partem tenuisse, & multis retrò temporibus celebrem fuisse Sorabicum litem, quem Marchiam appellare possis, tum quòd sensu conveniat nomen, tum quòd aliqui in republica Carolingica non sit ignotum, annal. Pitb. A. 894: conf. Rein. Reineccius ad Poët. Saxon. anonym. l. 2. col. 21. Verum Burggraviatus Soraborum longo tempore post institutam Misniae Marchiam adhuc duravit, deinde proprium ac nativum nomen, haud ambiguo antiquati Burggraviatus Sorabici indicio, amisit, & Marchiae citra Albim, cujus Detmarus meminit, portio accessioque esse coepit non minus, quam ipsa Soraborum Marchia, quae multò ante desierat, & Marchiae Orientalis, quae & citra Albim dicebatur, ambitu comprehensa fuerat. Vid. post. Detmarum, apud quem fontes & capita antiquitatum Misnensium sunt, Petrus Albinus commentar. rer. Misnens. in explicat. tit. 8: & 9: & de insign. gentilit. dom. Sax. in Dynast. Landberg. insignibus.

2. Sed

2. Sed termini, qui olim Marchiæ Misnensi  
statuti erant, non iidem, nec immoti semper man-  
serunt, & postquam Bohemorum atque Ungaro-  
rum impetum sustinuerat sæpius, ac represserat  
feliciter, atq; Milzenos subegerat penitus, b. ma-  
joribus incrementis fines protulit, & vitâ functo  
Marchione Ekkihardo, vires accessione auxit,  
postquam Dedo Marchiam Orientalē c. cum Mis-  
nia copulavit. Is à Budsetiis d. genus duxit, & fau-  
sta hæc ad magnitudinem initia habuit, matrimo-  
nii dignitate atq; necessitudine inclutus, & justâ  
successione Wetini Comes, nisi quòd rudi feroci-  
que seculo, ubi vix à bello quies erat, armis in  
Henricum III. versis, imperatoris gratiâ excidit,  
& postquam hic perduellionem judicaverat, exi-  
lio multatus fuit. Cujus acerbitate sententiæ  
res Henrici valde inclinatæ sunt, concitatis irâ o-  
mnibus, ad quos pertinebat exemplum, quique in  
ejusdem civitatis fortunarumq; omnium societa-  
te erant, donec ex injuria postmodum gratia ori-  
retur, & Misnica res in Conrado Thimonis filio, in  
antiquum statum rediret, quanquam ne sic qui-  
dem pacarentur offensi Saxones, & magis attolle-  
rent caput, atq; hoc adeò imperatori triste, & po-  
steris utile ad recordationem exemplar esset, rarò  
floruisse Imperatores, quorum potentia Saxo-  
num amicitia non fulciretur.

B 2

b. Con-

2. Sed



b. Consensu quodam gentium nationumq; receptum est, ut quisq; populus in certos fines describatur, & limitibus inclusa hominum imperiorumq; tranquillitas contineatur, quod si de terminis naturalibus, uti maris, montium ac fluminum intelligatur, ingenuè fatendum est, id nutu arbitrioq; gentium dirigi, neq; ex præcepto quodam juris naturalis, neq; ex consensu omnium gentium (qui omnibus civitatib; constitutum jus fecit, & quia omnib; ideò universè valiturum) sed ex voluntate atq; liberâ estimatione populorum solùm pendere. Fines enim, in quantum jus denotant, animo intelliguntur, & Diodori, Xenophontis ac Taciti, & plurium, flumina fines appellantium, testimonia, quæ enumerat Hugo Grotius de I. B. & P. II. 3. 16. libero saltem quorundam populorum judicio innituntur, nec à natura id habent, quòd fines sunt, sed ab arbitrio atq; estimatione quarundam gentium, in quantum his visum est statuere ibi finem, ubi mons aut flumen esset, tunc maximè, quum difficili aditu minus periculum timeri possit. Ecquis enim ignorat, plerosq; populos armis tantùm ac potentia utrinq; formidine oppositâ discretos fuisse olim, quod ex Plutarcho, Tacitoq; ipsomet, & scriptoribus aliis nullo negotio demonstrarem, si hujus eque instituti esset. Nunc sufficiat observasse de Germanis priscis, etiam mutuo metu (nec montibus tantùm) à Sarmatis Dacisq; se-

separatos fuisse: de morib. German. l. 1. Posterioribus  
verò seculis præclarè in republica Germanica exi-  
stimatum est, apud montes & flumina præfecturas  
limitum situs pariter atq; securitatis ratione optimè  
institui, & saltè exemplo esse Marchiam Misnen-  
sem, quâ Milzenos, qui cum Daleminciis uno atq;ve  
eodem gentis Sorabica tunc per Misniam diffusa no-  
mine appellantur, subegit Henricus Auceps, ac sua  
ditionis fecit, apud Detmarum lib. 1. Ubi impensiore  
curâ hoc agit P. Albinus, ut confirmet, Marchiam  
Misnensem primò contra Milzenos conditam fuisse,  
non tamen solùm contra bos, sed etiam contra Bohe-  
mos Polonosq; ut ex iis, quæ reliquis libris posteri-  
tati narravit Detmarus, facile liquet, & contra Po-  
lonos magis communitam fuisse tradit idem, & de  
Bobemis ostendit Fabricius in annal. Misne ad A.  
978: & 1010. Quod usq; eò grave quibusdam ac a-  
cerbum fuit, ut morituri nolent Misnæ sepeliri, quòd  
vererentur, ne hostes occupatâ urbe, cadavera inju-  
riis afficerent, cujus rei documentum præbuit Eid,  
Antistes quondam Misnensis, ut publicis monumen-  
tis mandavit Detmarus lib. 7: p. 198. Et subit hic  
recordatio Friderici I. Electoris, qui gloria belli at-  
que factis egregiis præclaram sui apud omnes poste-  
ros memoriam reliquit, ac sepulchrum diu ignotum  
in arce Misnensi habuit, quod consultò factum est, ac  
metu Husitarum, à quibus tunc sepiissime signa in-

fest a Misnia illata sunt, & odio Herois, qui à Principio motuū fortissimè ipsis restitit, in cinerè ac ossa, si arcem occupassent, servituri credebantur. Itaq; non tumulus, sed tumuli species, sive cenotaphium ejus saltem Aldenburgi fuit: atq; id præter literas ac diplomata quædam, A. 1669. nota cadaveris indicant, Conf. Laur. Faustus act. Misn. p. 65.

c. Maximè refert, ut hic observetur, Marchiam Orientalem dici, quæ Detmaro l. 5. Marchia citra Albin, hodie Lusatia dicitur, Chron. Mont. Seren. ad A. 1136: A. 1225: p. 204. Illos autem hic deserimus meritò, qui Marchiam Orientalem pro terra Orientali, inter Misniam ac Thuringiam interjecta, quæ aliàs Osterlandia vocatur, babent. Neq; id latuit P. Albinum, qui & ipse hujus erroris indicium protulit, Cbr. Misn. p. 188: cujus multa ibi egregia sunt, etsi Philippus Cluverius alibi tacitè ei succenseat, ac cum ipso reprehendat omnes, quotquot Misenos deducunt à Mysis, & ab externa gente gloriam originis quarunt, quam domi bene sciteque reperire poterant: de German. antiq. l. 1. cap. 3: p. 29. At qui inter hos fuerunt in primis R. Reineccius, & Petrus Albinus, viri invicè amici & aliàs pari eruditionis laude conciliati, ille chron. Misn. tit. 3. & seq: hic singulari libro Teutonice lingvâ evulgato de orig. Misenor. Equidem Detmarus pro eo studio, quod in eruendis Misnie antiquitatibus posuit, pro:

procul dubio commemoraturus erat, si, quod Albino videtur, nomen Misni Mysorum causa fuisset impositum urbi atq; Marchiæ apud Dalemencios instituta: nam & alias ad extera digressus est Detmarus, & Merseburgum, cui primus murum circumdedit Henricus Auceps, dixit opus esse Romanorum, tamen si hoc dubiâ fide dixit, certè paria dicturus de Mysis, si ea tunc Henrici Aucupis, cum Misnia Marchiam conderet, sententia fuisset, & à Mysis, alienigenâ sanè populo, ortos Misnenses credidisset. Vitium enim est de industria comminisci, quod melius scias, imbecillitas autem, quod nescias, sequi.

d. Detmarus, quo satis certo auctore stamus, stirpem Budsetiam appellavit tribum Buzici, significatione familiæ eminentis, & si à generis dignitate discesseris, Principibus quoque dudum necessitudine innixam, l. 6: p. 151. edition: Maderian. p. 71: Reinneccian. Ex qua nominat Dedonem, non quia non pertineat ullo modo ad genus Wittekindi, sed quod à quodam ditionis suæ oppido, & propter Rigdagi agnationem à gente Budsetia, nullo autem originum Wittekindiarum præjudicio, deducatur, Rein: Reinneccius de primis Misnie Marchionibus ad Chronicon Detmari. Quamquam si maximè ponatur, familiam Budsetiam, non fictis imaginibus, ac meritis suis celebratam, non esse adscribendam prædictæ illi stirpi, tamen juri, quod ad eam respectu Marchiæ  
Mise

Misnensis innexarumque provinciarum pertinet, quodque multis ac validissimis titulis, concessione beneficiaria augustorum, agnatione proximâ priorum Marchionum, & plurimis seculis innixum ac verissimè stabilitum est, nil derogetur, neque verò ideò temere sit molestia exhibenda scriptoribus Originum Wetinensium. Caterùm de Dedonis & Comitum Wetini familia post Detmarum videantur Chronicon Walbecense, chron. Gozecense, & quod saepe allegavimus, Chron. Montis Sereni cum appendice. Etiam res Dedonis tractant Lambertus Aschafnaburgensis ad A. 1069: Conradus Urspergensis ad A. 1070: quarum alter scripsit Dedi, alter Teti, qui cum quereretur sibi non tribui, quod esset æquum, belli Saxonici, quod in compendio descripsit Abbas Stadensis, quodque Germaniam tunc valde perturbavit, hortator, ac defendendi Pontificis Romani contra Imperatorem Romanorum Dux atque auctor fuit.

3. Verùm quia Henrici IV. ira leniri non poterat, feroces Principum animi magis commoti sunt, & severioris imperii odio multis audacia crescebat, præ cæteris Dedo adnitebatur, ut suis viribus imperatoris vim sustineret, & quanquam incepto non esset par eventus, tamen ne sic quidē apparebat, calamitate fractū fuisse, & cū in exiliū iret, tantū necessitati paruisse, cōstabat, tunc deinceps instigando effecisse, ut Henricus filius indignatio-

tio-

rtinet,  
ne be-  
riorum  
veris-  
deò te-  
inum,  
itum,  
hroni-  
epe al-  
dice,  
hafna-  
ad A.  
ti, qui  
uum,  
Abbas  
turba-  
contra  
fuit.  
iri non  
mmo-  
udacia  
ut suis  
nquam  
quidē  
exiliū  
c dein-  
digna-  
tio-

tione itimulatus, ereptam Misnæ Marchiam à Bo-  
hemix Duce Vratislao, cui eam Henricus IV. Imp.  
concesserat, repeteret, e, nec prius conqviesceret,  
qvàm Bohemum ex iis terris exegisset. Cumq;  
altera vice illū summovisset, & nihilominus in sen-  
tentia perstaret Imperator, ac postea cuperet Hen-  
rico V. filio, ut Vratislao extincto, Viperto Marchio  
Groicensisf. inauguraretur in Vratislai locū, Saxo-  
nes vehementiūs, qvàm ante, se moverunt ad so-  
licitandū reipublicæ statū, & suscepta expeditione,  
Wipertum adorti, instructa acie pro Marchia De-  
donis stirpi servanda dimicârunt, usq; dum vicit  
reipublicæ caritas, & Misnæ principatus Conra-  
do, Thimonis filio, ad qvem, tanquam fratris  
filium, jure primi acqvirentis, pertinebat, ve-  
ro atqve incorrupto iudicio redditus fuit.

e. *Vivo Dedoni plerasq; possessiones ac am-  
plissimos redditus ademptos fuisse, omni asseveratio-  
ne confirmat Aschaffnaburgensis. Cum enim re-  
concilianda gratia causa Henrico III. se permisisset,  
mox in custodiam datus, atq; ex ea agre liberatus est.*  
Dedi Marchio ( *inquit Aschafnaburgensis* ) ali-  
quamdiu habitus in custodia, tandem adempta  
possessionum & reddituum non modica parte, di-  
missus est. *Bertboldus Monachus, qui Chronicon  
Hermannii Contracti continuavit, cum Aschafna-  
burgense consentit, ac narrat, Dedonem se Henri-*

co IV. deditisse. sed de bonorum gravissima ista mul-  
tatione, quam commemorat Aschafnaburgensis,  
in tanta brevitatis consecratione nil addit, A. 1069.  
Itaq; dum in Dedonem animadversum est, non oportet  
existimari, Marchiam Misnensem unã abjudi-  
catam fuisse, quandoquidem hæc filio ejus primò  
erepta, ac Vratislao Bohemia Duci attributa fuit.  
In quam sententiam rursus hæc scribit Aschafna-  
burgensis. Cumq; sub idem fere tempus Dedi  
Marchio longa ægritudine absumptus decessisset,  
Marchiam ejus Bohemiæ Duci in præmium ex-  
actæ militiæ dedit, tametsi uxor Marchionis Ada-  
la (aliis Adela) filiũ suũ, cui hæreditariã successione  
marchia debebatur, ei paulò ante pro se obsidem  
misisset, & ipse Marchio post recuperatam pacem  
in Gerstingum intemeratam semper erga regem  
remq; publicam fidem servasset: pag. 225: & 177.  
collat. edit. Pistorian: & pag. 517: & 476: edit. Ar-  
gentoratens. Addantur G. Fabricius orig. Saxon.  
l. 2. p. 352: P. Albinus Misn. Chron. p. 404: edit. A.  
1589: qui perperam corrigit Lambertum, & mutare  
studet vocabulum Adale, perinde ac si eo filium De-  
donis denotasset Lambertus, cum tamen ex ipso  
Lamberto certum sit, nomine Adale, non filium, sed  
conjugem Dedonis solùm denotasse. Laurent. Fau-  
stus de stemmat. March. Misn. p. 102. Laurentius  
Peccenstein in familia Wittik. p. 5. hanc vicissitudi-  
nem

nem non attigit, fortè quia compendii rationem ha-  
buit. Quòd verò quidam referunt, Dedonem in  
exilio mortuum esse, ipsi viderint, quâ ratione pro-  
bent. Nam id ex Aschafnaburgense, in quo nobis  
scum quoq; hujus historie sedem statuunt, non hau-  
serunt, tametsi ex eo licet intelligere, Dedonem lon-  
gâ aegritudine confectum fuisse, quòd duro ac diffi-  
cili Imperatore, qui de illius possessionibus multum  
detraxerat, uteretur, quodq; non obscuro indicio  
appareret, Vratislaum Bohemia Ducem, qui Hen-  
rico Imp. fidam bello operam navaverat, studio at-  
que benignitate Henrici annexurum pro utilitate  
sua, ac Marchia insidiaturum. In quo utique non  
erravit, si & hæc pars ejus aegritudinis fuit: quan-  
doquidem, teste Aschafnaburgense, ipsi contra Sa-  
xones adjutor fuit, & mortuo Dedone seniore (ju-  
nior enim Dedo à Patris ingenio desciverat) Misna  
Marchiam, licet nullâ honestâ ratione ac legitimo  
titulo, & propterea non diu retinendam, impetra-  
vit. Illud autem procul dubio falsum est, quòd  
Monachus Pegaviensis, quem Latine R. Reineccius,  
Teutonicè Ernestus Brotufius edidit, affirmat, Du-  
cem Vratislaum ab Henrico IV. creatum esse regem,  
de vitâ Viperti Groicensis ad 1003: quem sequi-  
tur Chronicon Bigaugiense p. 243. Enimverò di-  
gnitatem regiam primus intulit Bohemia Fridericus  
Ænobarbus, autore Radevico de gest. ejus lib. 1. cap.  
13: quem sequitur Chron. Lauterbergense ad A. 1158:

nec unquam aliter Vratislaum appellat Ascbafna-  
burgensis, quàm Ducem Botemicum, sive Boë-  
morum, & ea quidem Chronici parte, quâ tradit,  
Ducem Polonia nomen atq; dignitatem regiam affe-  
ctasse, traditurus idem de Bobemo, de quo & ibidem  
agit, si quoquo modo etiam regis honorem adeptus  
fuisset, ad A. 1077. Constatq; ex ipsomet Pegaviensi  
monacho, non accurata loquendi ratione usum esse,  
quòd verbis paulò post sequentibus filios Vratislai  
Duces, non reges, extulit. Neq; hic tanta est nobis  
Cosmæ Pragensis ad A. 1086. auctoritas, ut propter  
eum mutemus sententiam, qui non semper quam  
debit, in commemorando diligentiam adhibuit,  
quem forsitan & secutus Monachus Pegaviensis est,  
ac aliàs ostendi potest, Cosmam & Pegaviensis,  
quem vocant, epitomatores, etiam in hujus, in qua  
versamur, historia parte paria referre quandoque  
solitos fuisse. Tum verò id repugnabat prudentia  
Henrici IV. cui vel auctore ipso Pegaviensi monacho,  
potentia Vratislai suspecta erat, præsertim eo tem-  
pore, quo Germania ob Hermannii electionem in tur-  
bido statu versabatur, Marian. Scot. ad A. 1082.  
1083: Dodechinus continuator ad A. 1086. Ne de  
errore in rationibus temporum admissio nunc aliquid  
dicam. Quamquam nec id tacebo, regiam digni-  
tatem, quæ Friderici Enobarbi auspiciis concessa  
est, nondum hereditario jure tunc fundatam, nec  
suc-

successione continuatam fuisse, quod vel ipsius  
Vratislai, quem Fridericus I. diademate ornaverat,  
exemplo liquet, cuius successor Premislaus à Philip-  
po Romanorum rege honore regio auctus memora-  
tur, apud Arnoldum Lubecensem, Chron. Slav. l. 6.  
cap. 2: ubi omnino habeo, quod desiderem in H. Ban-  
gerti notis. Sed quia mihi videor hæc copiosius ex-  
plicasse, nunc ad institutum rediens, velut in summa  
colligam, Dedonem, si maxime ab Imperatore in exi-  
lium eiectus est, tamen in exilio mortuum non fuisse,  
atq; ab eo tempore non defecisse iterum, sed timuisse  
tamen merito posteritati suæ, & cum viam ratio-  
nemq; consiliorum Henrici teneret, spem posuisse in  
Saxonia Principibus, defuncto Dedone palam dicere  
ausis, Henricum ad internecionem totius Saxoni-  
cæ gentis animum obstinasse, apud Aschaffnaburg.  
supra d. l: qui & summâ ope postea effecerunt, ut  
Misnensis Marchia legitimo Domino redderetur.  
Quod nec ipsi scriptores Bohemici diffitentur, & in  
hoc genere præcipuum Ducem Lotharium nominant.

f. Hujus res atque acta posteritati prodidit  
paulò ante allegatus Monachus Pegaviensis, ac fide  
atq; testimonio suo effecit, ut memoria ejus ne oblite-  
raretur, postq; hunc Chronicon Bigaugiense. Ean-  
dem operam alii, sed non perfectò opere, navarunt,  
quo numero sunt Conradus Urspurgensis A. 1105: Cos-  
mas Pragensis A. 1123. ex recentioribus Albinus

chron. Misnens. tit. 10: qui saltem pro instituti sui  
ratione de eo tradunt. Henricus Lindebergius ab  
ejus stirpe deducit Ranzovios, in monument. Ran-  
zovian. cap. 10. Sed hoc ad nos non pertinet, quòd  
duo t antum capita hic ad considerandum propona-  
mus: primò quòd Vipertus ex veteri Misnensi-  
um Marchionum genere non fuerit ortus: deinde,  
quòd Marchia Misnensis stirpi Dedonis nullo jure,  
auferrì potuerit, & per acerbiores sententiam a-  
lienata repeti debuerit omninò, ac propterea omni  
studio repetiverit Marchio Henricus I. atq; in eandem  
causã incubuerint Henricus junior ac Timon, demum  
re ipsa atq; exitu præstiterit Conradus I. ac judicio im-  
peratoris Lotharii II. recuperaverit. Nam quoad  
Saliquorum stirps viguit, legitimis heredibus seve-  
ritas atq; odium obstabant, plusq; erga Vratislaum,  
& Vipertum gratia, quàm jus valebant. Nec mo-  
dò Henricus IV. ut ex Aschafnaburgense traditum,  
obductam injuria à Dedone accepta, & postea,  
quàm se dederat, remissa cicatricem refricuit ini-  
què, quòdq; antea patri condonaverat, in filium nil  
commeritum vindicavit infeliciter, sed etiam Hen-  
ricus V. ex Saliquo genere ultimus, Henrico Juniori  
injuriam querenti atq; jus postulanti defuit, usque  
dum Lotharius Saxo, qui Conradum Timonis filium  
armis tuendum antea susceperat contra Imperato-  
rem Henricum V. ipse imperatoria dignitate auctus,  
decer-

decereret, hunc restituendum esse in pristinum  
Marchia Misnensis statum. Explicatè hoc recen-  
suit Cosmas, & quòd Marchia ad Conradum jure  
agnationis pertinuerit, confirmavit. Ita enim ille  
ad A. 1123. scribit. Imperator IV. (juxta seriem im-  
peratorum numeratus) Henricus prædicti Deda  
Marchionatum putans hærede desolatū, dederat  
Wigberti (Viperti Groizensis) sub potentiam. Sed  
erat in Saxonia quidam nomine Conradus ex tri-  
bu ejusdem Deda natus, ad cujus manus jure per-  
tinebat ille Marchionatus. Unde Dux Ludera  
(Luderus, sive Lotbarius, Comes Supplinburgius, &  
Duce Magno sine filiis defuncto, Henrici V. beneficio  
dux Saxonie factus, apud Abb. Stadens. ad A. 1106.)  
& alii Saxones valde indignantes contra Impera-  
torem, susceperunt bellum adversus Wigbertum.  
Sed exasperato erat animo Henricus V. & stabat in-  
sententia, resistentibus interim Saxonibus, & ad-  
versus Imperatorem contumacibus, usq; eò, ut Viper-  
tum de possessione Marchie armis depellerent, donec  
Lotbarius, Henrici V. qui de vita decesserat, succes-  
sor, judicio terminaret lites, ac Henrico Misnensi  
Marchione rebus humanis exempto, redditum De-  
donis stirpi verum avitumq; jus confirmaret, &  
Conrado, cui magno nomen est, jure necessitudinis  
debitum, ac suo concessu denuò atq; beneficiaria lege  
traditum sanctè semper atq; inviolatè conservaret.  
Quod

Quod explanatiùs paulò tradidit Chronicon Lau-  
terbergense ad A. 1127: & ejus supplementum Mei-  
bomianum p. 204. Quod ne casu, nec fortuitò, sed  
respectu juris ac propter egregia Conradi merita fa-  
ctum videretur, vel illo ipso Lotharius Imp. testatus  
est, quòd Misnensis Marchiæ dignitatem honesto con-  
silio atq; hoc opportunissimo tempore amplificaret,  
atq; ut majori benevolentia officioq; Conradum com-  
plecteretur, ad eam quoq; benignioribus auspiciis ad-  
jungeret Marchiam Orientalem, Chron. Mont. Seren.  
A. 1135. & supplem. Meibom. p. 204. Quanquam e-  
nim hac apud alios denotat quoq; Marchiam Unnga-  
ris ereptam, & ea notione Bajoaria limitem desi-  
gnat, apud Frisingensem lib. 6. cap. 15. Viterbiensem  
Chron. part. 17. p. 249. Aventinum l. 1. Annal. Boj;  
tamen hic tantum in memoriam nobis redigit Lusi-  
censem, nec aliter in Chronico Sanpetrino declara-  
tur, quæ ut acquisita, & posthac amissa & novissi-  
mè stirpi suæ repeti a fuerit, erit occasio, ut alibi dis-  
seram, & quantum ego quidem capio, summo stu-  
dio, ac diffusa quadam continuatâq; commemoratione exponam  
omnes Misnensis Marchiæ origines & commutationes, harumq;  
causas pariter atq; exitus, cum præcipuè ea exquiram, quæ inne-  
xos Misniæ principatus, & Palatinatum Saxonie Septemvira-  
tumq;, ac aliàs longè eminentissimas dignitates spectant. Nunc  
enim in pia cogitatione conquiesco, & Marchiæ huic à præpoten-  
ti Deo & Rege Henrico I. constitutæ, ac sede atq; domicilio  
Saxonie Electoris ornata eternitatem precor.

---

Corrigenda sub lit. a. lin. 22, & 23 hunc ad modum,  
numquam ante Henrici IV. & non ita frequenter ante Henrici V.  
& Lotharii Imp. tempora Marchiam legi, &c.

*Generose ac Nobilissime Juvenis,  
Fautor ac Amice colendisime*

**R**ectè atque ordine agis, quod in hoc ætatis  
flore conscendis Cathedram, quæ in studiis  
hactenus feceris spatia, palam probaturus om-  
nibus. Equidem à teneris assvescere multum  
est, nec magna possunt latere diutius; Sed diva-  
gandi copiam studiosè quærunt. Laudo itaque  
conatum tuum Generose Juvenis, qui ante annos  
Te virum præstare satagis, quo ipso excellis ac su-  
peras quamplurimos, qui annis quamvis graves  
prodire in Publicum vel non valent vel tamen  
non audent. Faxit almum Numen, ut sicut viri-  
liamoliendo, ætatem antevertis; ita eò citiùs ad  
Reipubl. Clavum gubernandum admovearis, in  
Patriæ salutem, Parentis Generosissimi gaudium  
& bonorum omnium solatium! Id quod eveniet  
indubiè, si artes quibus jam nobiliter præstas  
multis, strenuè pergas, DEUS Te servet! Dabam  
ex meo Museo D. 3. Junii 1674.

**D. GODOFREDUS Strauß/  
Facult. Jurid. Assess. & Prof.  
Publ. Extraord.**

**E**T meæ expectationi, & tuo  
officio facis satis, quòd non modò, quæ  
usquam optima sunt, multâ diligentia colle-  
gisti hætenus, sed etiam quòd in publicum  
profers egregiè, atq; hoc monumento conse-  
queris honestam laudem. Itaq; virtuti, quæ  
in te semper eximia fuit, & doctrinæ, quæ es  
singulari, testimonium hoc multò amplissi-  
mum tribuo, ac de præmio navatæ operæ  
nunc præsentem gratulor, ut scias, quo in te ab-  
sentem animo sim futurus. Equidem ita hic  
vixisti, ut omnes cognitam habeant assiduita-  
tem tuam, & laudent modestiam, ac peregre-  
gios mores, & his maximè modis ac rationi-  
bus veniant in gloriæ per te amplificandæ  
spem, atq; gaudeant, eam tibi illustrandæ  
**KÖTTERITZIORUM** gentis facultatem ob-  
latam esse. Quæ ut ampla sunt ac præclara o-  
mnia, ita abs te requiro, & jure quodam meo,  
ac per bonarum literarum ornamenta postulo,  
ut hunc bonæ mentis ardorem serves, & laudis ejus,  
quæ jam tū adeptus es, cursum tenèas in posterum,  
& conficias feliciter, & Dei Principisq; beneficio  
evehctus, in amplo reipublicæ gradu colloceris. Ita  
vale. Ex Museo IV. Jun. A. cl. J. c. LXXIV.

*Conrad Samuel Schurtzfleisch.*

## Corollaria.

### I.

**D**ominium eminent in Republica civili  
non datur.

### II.

Sanctitas legatorum non tantum mori-  
bus gentium sed in ipso Jure Naturali fun-  
datur.

### III.

Omne bellum morali sensu defensivum  
est, adeoque nec falsa religio, nec commercia  
denegata, nec transitus exercitui recusatus  
justam belli causam præbent.

### IV.

Quædam temperamenta belli Lex justitiæ  
quædam Lex charitatis, quædam libera con-  
suetudo gentium sancit.

### V.

Nobilitas hereditaria quæ sola majorum  
virtute nititur, vera etiam jure naturali est.

### VI.

tuo

, quæ

colle-

cum.

confe-

, quæ

quæ es

plisfi-

operæ

te ab-

ta hic

duita-

regre-

tionni-

andæ

randæ

m ob-

ara o-

meo,

ostulo,

dis ej9,

osterū,

neficio

eris. Ita

et z fleisch.

QX 7 10 93 VI.

Princeps etiam quoad vim directivam legibus positivis solutus est.

VII.

Majestas est divisibilis : adeoque rempublicam mixtam dari absurdum non est.

VIII.

Lex injusta non est lex.

IX.

Subditus majestati etiam in præceptis dubiis obsequi tenetur.

X.

Subditus de actionibus imperantium judicare non potest.

IV.

W



ivam

e rem-  
est.

otis du-

um ju-

ULB Halle  
004 779 940

3



W

V077





QK.  
d. 14. 4

M

C



Vc  
1092

v.

HIA  
NSI,

nt  
E S  
L SCHURTZ-  
CH,

A KÖTTERITZ,  
CLIS,

1674

Majori  
cl b c LXXIV.

ERGÆ,  
NI SCHRÖTERI.

IECA  
IANA



2

